



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

De quibusdam, quæ sensibus omnibus communia sunt. cap. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



doceri & perfici, quæque aliorum cognitionem iuvare possent. Hoc enim postulat ratio doctrinæ. Ferè autem communia & generalia primùm tradenda sunt, quòd non solum singulorum cognitionem iuvent, sed omnino hæc sine illis cognosci nequeant. Quare antè specialem singulorum sensuum considerationem de sentiente facultate univèrsè actum est in textu 31. & deinceps, docendo, sentire esse quoddam pati, qualisque passio sit, & à quonam sensui inferatur. Quòd si quæ sint, quorum explicatio & intelligentia ex singulorum cognitione pendeat, ea nec doctrinæ ratio prædoceri permittit, nec penitus omittenda sunt, sed singulorum explanationi subiungenda. Huius generis sunt hæc, quæ postquam de unoquoque sensu & cuiusque obiecto sensili dictum est, de omni sensu, hoc est de sensu univèrsè & in genere Philosophus nunc dicit accipi oportere. Nam antea quidem docere potuit univèrsè, sentionem esse passionem quandam, eamque perficientem, non corruptentem, atque ab obiecto sensili factam in sensu. Sed quòd nunc additur, sensum facultatem esse sensilium formarum susceptricem sine materia, eaque re ipsa suscipere, dum patitur ab obiecto, minimè potuit eo loco doceri, nec sine singulorum cognitione intelligi. Quòd dam nunc absoluit, simul etiam exponit id, quòd antea sepè affirmatum est, sensum, qui est potestare, sentiendo fieri actu ipsa obiecta sensilia: magisque declarat, quid sit sensus univèrsè consideratus, ex quo poterit colligi, quid sit unusquisque sensus. Quia si sensus univèrsè facultas est formarum sensilium susceptrix sine materia, aspectus nimirum facultas erit aspectabilium formarum susceptrix, auditus audibilium, & eodem modo reliqui sensus.

Ceterum hæc propositio multis modis intelligi potest. Quia cum sensus facultas sit, quæ corporis organo vitur; aut id, quòd dicitur, referri potest ad organum, aut ad facultatem ipsam. Et rursum, aut ita intelligi, vt obiecti sensilis forma absque eo suscipiatur, quòd suscipiatur materia, in qua ea forma sustentabatur; hoc est corpus seu substantia sensili formæ & accidenti subiecta: aut ita, vt forma illa immateriali modo accedat.

Plerique interpretes & inter Græcos Themistius & Simplicius susceptione organi interpretati sunt. Et Themistius quidem inter ceteros suscipi formam affirmavit, hoc est sensilem qualitatem, vt colorem in oculo, sonum in aure, in olfactu & gustatu propriam eorum qualitatem. Quo loco tum intentionalem susceptionem complexus videtur, dum colorem nominavit; tum realem, dum cetera sensilia subiunxit. Quæ omnia voluit sine materia suscipi, dum sensilis forma à materia & subiecto, cui inhæret, abiuncta ad sensum pervenit; atque ita impellit organum, vt materia forinsecus sedeat, non autem intus cum forma in sensum subeat. Sicut cum quidpiam securi caditur, non sola ferri acies cadit, sed & acies cum ferro & ferrum quoque subit ligni: & ignis vrit, non sola ignis forma aut species.

Hanc interpretationem ego non probo. Primùm, quoniam ignem totum agere, non solum illius formam, etiam à Philopono quoque confirmetur, Aristoteli tamen & rationi apertissimè aduersatur. Quippe Aristotelis verba sunt illa in libro de sensu & sensili cap. 4. ignis non agit vt ignis, sed vt calidus; hoc est non se toto, sed forma. Et certa ratio persuadet

fit, materiam patendi & suscipiendi principium esse; agendi & tribuendi, solum formam. Et actus secundus, qui operationem significat, non nisi ab actu primo, hoc est à forma, oritur. Et in ipso huiusce libri initio non materia, neque totum coniunctum, sed forma appellata est actus; distinctaque in actu primùm & secundum; qui operationem habet. Deinde quoniam hoc modo suscipere formam sine materia non solum convenit sensui, sed etiam ijs omnibus, quæ in natura patiuntur. Quid enim inter ligni, aquæ, alteriusque inanimati, & nostrorum corporum calefactionem interfit? Sanè lignum, quòd comburitur, non materiam, sed solum formam ab igne suscipit: nec quidquam omnino, quòd ab agente quoniam naturali patitur, aliud, quam formam, ab eo accipit, neque agens largiri aliud potest. Materia verò agentis actioni subijcitur; & dum mutatur, agentis formam suscipit; materia illius forinsecus sedet. Tum verò non in omnibus sensibus ita evenit, vt Themistius loquitur. Quia etsi in aspectu, auditu, & odoratu, non corpus coloratum, sonans, aut olens, sed sola illorum forma, in sensus organo suscipiatur: in gustatu tamen & tactu non ita est sed corpora ipsa, hoc est materia suscipiuntur; vt antea exposui. Et de gustatu præsertim affirmavit Philosophus, saporem omnem gustari in humido & succoso quoque corpore, quòd illius materia est: neque solitarius unquam sapor linguam subit, sed semper cum humido corpore. Quòd si humidum corpus non adsit, non sentitur sapor. Immo in oculorum suffusionibus & in interno aurium tinnitu, affectus quoque & auditus simul cum materia formas in organo suscipiunt. At omnis sensus semper suscipere dicitur formas sine materia.

Averroës ergo, Albertus, S. Thomas, Agidius, & ferè latini, sensum inquirunt suscipere formas sine materia, quòd obiectorum formæ alio modo in sensu organo suscipiuntur, quam in ipsis obiectis sint. Nam in obiectis materiales prius existunt & iuxta ipsorum dispositionem; in organo sensus secundum esse intentionale & quoquo modo in materia le suscipiuntur.

Sed præterquam quòd de intentionalibus hisce formis, quas isti loquuntur, inter omnes non convenit: neque ad certam propositionem exponendam incerta æquum est adferre: si colores seipores, qui re ipsa sese multiplicare nequeunt; lucem certum est re ipsa in oculo suscipi, sonum in aure, odorem in naribus, multoque magis saporis & qualitates omnes tactiles; quæ per alterationem aut impulsum ac motum & interdum per solum continui divisionem sentiuntur. Hæcque omnes qualitates eiusdem rationis & conditionis esse, tum in organis, tum extra organa in seipsis. Deinde si à coloribus in oculum species eæ immittantur, per medium aërem immittentur: non solum igitur sensus, sed aër quoque & medium formas sine materia suscipiet. Immo magis. Hoc enim est interpretibus illis principium; formas pro subiecti diversitate diversas esse; & ideò in organo minus, quam in obiectis, materiales eas esse. Quòd si ita habeat, minus materiales erunt in aëre, quam in oculo; cum aër tenuiorem multo naturam habeat. Magis igitur ipse, quam sensus, formas sine materia suscipiet. In organis autem tactus & gustatus, quæ maxime materialia sunt & corpulenta; immaterialiori specie opus

Secundum expositorum

Consequenter



non fuerit, neque hæc in illis suscipi vilo modo poterit. Nec vlla vnquam ratio in his duobus sensibus opus esse speciebus illis persuadebit. Sed si omnis sensus per huiusmodi species fieret, vt aspectus contrarios simul colores cernit, sic contrarias qualitates tactus quoque susciperet, quod intentionales contrariorum species simul esse possint. Omnis quoque sensus momento fieret, neque medijs motu impediretur, quemadmodum in aspectu euehit. Nunc autem certum est, reliquos omnes tempore indigere; aerisque in contrariam partem impulsu impediri magnopere, auditum præsertim & odoratum, qui medio illo vtuntur. Denique cum in sequenti textu ita loquetur Philosophus; sensorium autem primum est, in quo huiusmodi facultas; manifestis verbis interpretabitur, se nunc non de organo, sed de facultate loquutum fuisse. Tunc enim primum de organo dicere aggreditur. Et verò quicumque sensum suscipere formas sine materia de organo quouis modo interpretantur; respondere debent, quomodo eadem propositio de intellectu quoque, cuius nullum est organum, fuerit ab eodem Philosopho pronuntiata. Cur enim quæso non absolute dixit, sensum suscipere formas sine materia; sed sensiles formas dixit? Nisi quia intellectus quoque alias quasdam magis, immo penitus à materia liberat, suscipit. In textu autem tertio, libri tertij, an non intellectum etiam dicit esse susceptivum formæ; eodemque sese habere modo ad intellectilia, quo ad sensilia se habet sensus? Et rursum in tex. 6. eum esse locum formarum. Et in tex. 38. non lapidem, sed lapidis formam esse in anima; & ideo intellectum esse formam formarum, & sensum formam sensilium.

*Auctoris  
expositio.* Quibus locis certum est de facultate, tum intelligendi, tum sentiendi, sermonem esse: eaque inuicem comparari: neque nunc de organis, sed de sentiente facultate vniuersè, agitur. quocirca si facultates ipsæ formarum, tum sensilium, tum intellectilium, appellantur loca: neque in organo corporeo, sed in anima dicitur esse lapidis forma, non lapis; hoc est forma sine materia; omnino facultatem ipsam, non organum, intelligi oportet susceptivam esse formarum sine materia. Deinde si hoc non solum sensui, sed & intellectui commune est; dici non potest conuenire sensui, quatenus sensus ab intellectu distinguitur; hoc est quatenus corporeus est & organo vtitur. Quia si ita esset, illi soli, non intellectui quoque conueniret: & formam potius cum materia, quam sine materia aptus esset suscipere; quemadmodum organum materiale est & corporeum. Sed necesse est ea ratione conueniat, quia sensus communem quamquam habet cum intellectu naturam: quatenus inquam facultas cognoscens est. Ita enim quemadmodum natura cognoscens efficitur eleuatione quapiam à materia (siquidem, vt verè ait Themistius, materia suo apte ingenio insipiens, bruta, & ad cognoscendum inepta est) sic obiectum quoque ab eiusdem materie fordibus eleuat; magis aut minus, vt facultas ipsa cognoscens magis aut minus fuerit eleuata: maximè quidem & omnino intellectus, quoquo autem modo sensus. Vt namque duæ hæc facultates eatenus natura conueniunt, quatenus cognoscens sunt; & ideo aliquo modo à materia eleuata: tum verò operatione, quatenus vim habent assimilandi sibi obiectum & illum in se transferendi. Differunt au-

*Cogni-  
tium vitæ  
& natura.*

tem, quod intellectus spiritalem profusè à materia liberam naturam habet: sensus non item, sed minus, quam cætera, materiale. Ita dum cognoscendo assimilant sibi, perque cognitionem ad vitam se ipsas obiectum tranferunt, immateriale assimilant; intellectus perfectissimè, sensus quoque modo. Ipsaque obiecti cognitio est velut assimilatio: ma: quæ dum in facultate cognoscente suscipitur, verè in ea suscipitur obiecti forma sine materia: est obiectum ipsum cognitionis actu factum immateriale. Facultasque que vim habet, cum assimilandi sibi obiectum materiale & faciendi illud immateriale, tum suscipiendi in se suam cognitionem tanquam obiecti formam; iure optime dicitur susceptrix esse formarum sine materia. Quod demum perfecte declarat id, quod ante dicitur; sensum, qui est potestare, sentiendo fieri à ipsa obiecta sensilia. Quoniam vt materia fructu susceptione formæ; ita dum sensus actum vitam dum cognitionis, ad quem erat potestare, suscipit tanquam obiectorum formam, verè fit actu ipsa obiecta cognita. Atque in hoc tota sensus vis & natura consistit.

Hanc nimirum esse veram huius loci sententiam non dubito, quæ & Trimegisti fuerat, cum in Pimandro capite nono, sensum ac motum in hoc potissimum discrepare dixit, quod hic secundum materiam, ille secundum essentiam est. Philoponumque & Alexandrum eodem modo intellexisse cognoscetis, qui eorum commentarios recentè perlegerit. Philoponus sensum dicit suscipere obiectorum formas sine materia, dum vitas eorum rationes cognitivæ impressas & inscriptas habet. Et paulo post; ea, quæ sentiant, hoc nomine ab ijs distinguit, quæ sensu carent, quod cognoscant & iudicent eam, quæ in ipsis hæc formam. Et tandem cum sensorium nominasset, sermonem statim correxit; Dico autem, inquit, ipsam sentientem facultatem. Nam sensorium quidem patitur à calore, sicut quodlibet animal corpus: sed sensus à sola calidi forma cognitivè patitur; & quæ sequuntur. Quibus verbis aperte facultatem ab obiecto separat, formamque sine materia susceptionem in facultatis cognitione constituit. Alexander autem in primo libro, de anima, capite decimo octavo, hunc locum exponens, sensum, inquit, animæ potestatem esse, quæ intercedentibus sensorijs sensiles formas intra subiectam materiam excipere & dilectissime nata est. Quinetiam Simplicius obiecti formam afferens in organo suscipi, illam ipsam addit dicit & cognosci à sensu, Quasi hoc verè sit suscipere formam sine materia. Alioqui formæ, quæ ab obiectis suscipiuntur in organis aliorum sensuum præter aspectum, materiales profecto sunt. Et in Commentar. textu 124. aperte ait, principium susceptivum huiusmodi formarum esse per ipsam sentientiam vitam, hoc est sentientis animæ facultatem: plantaque non suscipere formas sine materia, quia non excitantur per se ad cognoscitivam actionem. Ac rursum in Commentario tex. centesimo tricesimo octavo, forma, inquit, ab obiecto in sensu organum producta sine materia est, nimirum in iudicatrice vita per cognoscitivam actionem firmata. Et paulo post, sensorium ait per eam vitam, quæ est vitale organum perfectum factum à vita, quæ ipso vtitur, recipit immateriale.

1517

materialem sensilis formam; idque ab ipsa sensitiua vita: formam inquam, hoc est actionem, quae ipsius sit cognoscitiua. Et in postrema commentarij parte; sensibile inquit non esse sensionis causam, sed ipsam potius perfici & in actu constitui à sentiente animâ, quae ipsius sensilis formae occurrit: idque ex seipsa quidem facit, sed ab occurssu sensilis excitata, vt propriam exprimat rationem, quae ipsi conuenienter quadret. Et in comment. tex. 139, forma cognoscibilis sine materia in vita stat; animâque intrinsecus & à seipsa agit.

Denique id cum Philosophi verbis optime consentit. Hic enim interpretatur, quid sit suscipere formam sine materia, vt sit sensum pati à colore aut sono; non quatenus eiusmodi qualitates sunt, sed secundum rationem: non inquam quatenus qualitates quaequam reales existunt, sed quatenus sensibiles sunt. Nam quatenus qualitates sunt, patitur sane ab illis organum, & patiuntur reliqua corpora: sed quatenus sensibilia sunt, patitur solus sensus, qui eas apprehendit atque apprehendendo formam sensibilem format & in seipso suscipit; qualitate ipsa in corpore sensibili aut in organo relicta. Ex quo loco magno opere confirmatur id, quod alibi docui, sensionem appellari passionem, non propter obiectum obiectiue speciem in organo susceptam, sed propter cognitionem in sentiente facultate velut immanentem actum residentem.

Quapropter dum forma suscipi dicitur sine materia, non tam intelligenda est materia, quae sensibilibus qualitatibus subiectum est, hoc est corpus ipsum sensibile (Hoc enim modo suscipere formam sine materia conuenit omnibus, vel etiam inanimis corporibus, quae alterantur & ab alio quidpiam patiuntur) sed qualitas ipsa realis, quae velut materia & subiectum sensibilitatis est. Nam organum quidem suscipit qualitatem; sensus autem non hanc, sed eius comprehensionem, quatenus sensibilibus est. Dumque non qualitatis, sed sensibilibus duntaxat formam suscipit, vere dicitur sensibilem formam sine materia, hoc est sine qualitate reali & materiali, quae velut illius materia est, suscipere. Sicut cera figuram & signum animalis suscipit sine ferro aut auro: neque suscipit quatenus ferreum aut aureum est; sed quatenus figura & signum.

Quod, vt paulo ante deducebam, ex cognoscens facultatis natura oritur, quae materialem formam potest à materia eleuare & immaterialem quoquomodo facere; in seipsam traducendo, non illam materialiter & reipsa consideratam, sed illius comprehensionem & similitudinem. Quippe cognitio, tum in intellectu, tum in sensu, rei cognitae similitudo est, forma, & ratio. Sed in sensu est similitudo, forma, & ratio sensibilibus, in intellectu intellectibilibus: in hoc immaterialis penitus & spiritalis; in illo non item, sed quoquomodo. Itaque vt possunt naturalia corpora tribus modis considerari, & vt naturalia sunt, & vt sensibilia, & vt intellectibilia: ita tribus modis agunt, triplicemque formam & similitudinem sui producant. Quatenus naturalia sunt, naturalem planè & sibi similem, tum quoad rationem, tum quoad existendi modum; vt calor calorem: & in similem materiam, hoc est in organum, aliudtè corpus. Quatenus autem sensibilia sunt aut intellectibilia, sensibilem aut intellectibilem: non in aliud corpus, sed in id, quod sentiendi aut intelligendi vi prædictam formam eam suscipere potest. Quoniam

tamen esse sensibile aut intellectibile, naturam aliquantulum aut formam non significat à naturali distinctam, quae agendi vim habeat, sed formalitatem quandam & habitudinem ad eam facultatem, quae sentire possit aut intelligere; quae sane formalitas & habitudo nullam vim habet producendi quidpiam: non verè dicimus, ea quatenus sensibilia sunt aut intellectibilia similibus sibi formam producere: sed solum naturalia, quatenus naturalia sunt, id præstare (quaqueam nec omnia, vt colores, &c.) quatenus autem sensibilia sunt aut intellectibilia, id sunt, circa quod facultas sentiens aut intelligens, eleuata magis à materia, sensibilem quamquam formam aut intellectibilem, cognoscendo & solum naturalis formae rationem comprehendendo producit. Et priorem quidem dicimus esse eam materia, posteriores autem sine materia: quoniam ea est singularum causarum producendum conditio & natura. Ita paucis verbis exposuit Philosophus, quid sensus sit, quidque illius maxime proprium, quo à ceteris omnibus dignoscatur.

TEXTVS.

*Αὐτὸν τὸν δὲ αἰσθητικὸν, ὡς ἂν ἢ τὴν αἰσθητικὴν δύναμιν.*

*Sensarium autem primum, in quo huiusmodi facultas. Text.*

COMMENTARIVS CLXX.

DE sensu organo hunc secundo loco dici manifestum est & omnibus certum. Sed quod ait S. Thomas, propterea hoc agi, ne quispiam, qui sensum audiuisse suscipere formas sine materia, sicut & intellectus suscipit, sensum crederet facultatem esse à corpore abstractam neque videntem organo, quemadmodum intellectus: minime probandum est. Quoniam tam saepe antea significatum fuerat, sensum facultatem materialem & corpoream esse, deque singulorum sensuum organo dictum; vt de hoc nequaquam dubitari possit: inter eos praesertim, qui sensum pati & suscipere formas sine materia, de speciei sensibilibus in organo susceptione cum S. Thoma interpretati fuissent.

Cum igitur de sensu, hoc est de sentiente facultate vniuersè dixisset, quid ea sit, esse scilicet facultatem sensibilem formatam susceptricem sine materia; atque hoc maxime distinguere ab organo & corpore; quod hoc materiales planè suscipiat, illa cognoscendo immateriales eas faciat, sine qua materia suscipiatur. De organo nunc vniuersè quoque dicere voluit: vt ita generalem doctrinam de toto sensu traderet, cum de singulis antea differens de singulorum duntaxat dixisset organum. Quò magis Simplicium miror haec ad organum sensus communis referentem; quòd spiritum esse affirmat. Nam non de communi sensu, sed vniuersè de omnibus sensibus dicendum sibi Philosophus proposuit: nondumque probauit, praeter exteriores sensus interiorum alium in animalibus inesse. Et in textu 128, exteriorum duntaxat tractationem concludit; ex dictis inquires perspicuum esse, non esse alium sensum praeter hos quinque. Quòd si non hunc communem sensum Simplicius intellexit, qui specialis est anima facultas tanquam exteriorum iudex: sed eum, qui est veluti genus partiat.

latium omnium sensuum : sane laborandum non fuit, vt speciale ac proprium illius organum ac ceterorum organo diuersum reperiretur. Siquidem genus nullum in natura subsistit a suis speciebus separatum.

Oprimè igitur dixit Philoponus, postquam de sensu actum est, agi & de organo. Sed hoc statim interpretatus est esse spiritum. Etsi enim oculi, aures, nares, diuersa diuersorum sensuum organa sint, hæc tamen non sunt prima; quoniam in illis non est sentiendi facultas, sed per ea ad spiritum passio ab obiectis transmittitur. Quia in re magnopere errauit, & cum eo Simplicius quoque. Nam in spiritu non residet sentiendi facultas: Immo is omnino animatus non est, neq. corporis pars, sicut nec sanguis, cuius tenuissima pars spiritus est: tatum abest, vt primum existat sentiendi instrumentum. Solum eam vim habet, vt caloris vehiculum cum sit, generaliter iulet operationes omnes, tum sensus, tum motus, quæ sine calore fieri nequeunt. At & omnium sensuum vnum principium primum esse potest, sed non vni primum organum, quo immediate operentur, quia vt est diuersa obiectorum natura, sic aliam atque aliam esse oportet organoꝝ dispositionem in diuersis planè corporis partibus. Tactus verò solidū omnino organum postulat, vt est in tex. iiii. magnopereque temperatum & qualitarum tactilium mediocritate constans, vt in tex. iiii. idem ipse Aristoteles subiunxit. At spiritus tenuissimus est & calidissimus. Quod si is tangendi organum non sit, nec aliorum sensuum fuerit: siquidem tactus primus est omnium, sine quo nullus illorum esse potest.

Quod igitur hoc loco affirmat Philosophus, est, antea quidem singulis sensibus singula & propria organa assignata fuisse, sicut singula facultates singulorum obiectorum erant. Nunc autem vt de facultatibus omnibus vniuersè dictū est, eas esse formarum sensilium susceptrices sine materia: Ita de omnibus sensibus affirmari posse, primū sensus organum eam esse corporis partem, in qua eiusmodi aliqua facultas fuerit sensilium formarū susceptrix sine materia. Propterea eum nō nominat: quoniam vt sensus nō est vnus aliquis, sed plures; sic illius organum non est aliqua vna pars, sed plures; videndi oculos, audiendi aures, odorandi nares, gustandi lingua, tangendi totum corpus. Neq. vniuersè quidquā dici potest, nisi id, quod dictum est. Cæterum primū organum aut intelligi potest generaliter & vniuersè sumptum; aut id, quod potissimum est & præcipuū; vt pupilla oculi, membrana auris, procellus mammillares, &c. Vt huiusmodi organum separaretur à cæteris, quæ illius constitutionem atque operationem adiuuant: quales sunt humores reliqui, & tunica oculi, aures, nares, &c.

Ex quo demum loco colligere licet, animæ facultates non esse diffusas per totum corpus, quemadmodum est illius substantia; sed in ea duntaxat residere parte, quæ ad operandum est apta.

TEXTVS.

Εἰ μὲν οὖν αὐτὸν, τὸ δὲ τῷ ἔργῳ· μέγας δὲ τὸ ἀπὸ αὐτοῦ ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, ὡς καὶ τὸ γὰρ ἀσθητικὸν ἔστι, οὐδὲ τὸ ἀσθητικὸν μέγας ὅτι διὰ τὸν αἵματι καὶ διὰ τὴν οὐρανὸν.

Est igitur idem, esse autem alterum. Magnitudo enim quedam fuerit id, quod sentit, non tamen sensu esse. Neque sensus magnitudo est, sed ratio quedam & facultas eius.

Spiritus non esse sentiendi agendi.

Anima facultates non esse per totum corpus suas.

COMMENTARIVS CLXXI.

Postquam definiuit, quid sit facultas, quid organum; ea inter se comparat; docens, quomodo idem sint, & quomodo distinguantur. Sunt, inquit, idem numero & subiecto, sed ratione & materia diuersa. Vt enim ex forma & materia, ex vtraque & quod vitur, vnum quidpiam efficitur: sed aliud est forma, aliud materia; aliud vtens, aliud id, quod vitur: ita ex facultate & organo vni quid ex parte perfectum ad operandum aptum, sed aliud est facultas, aliud organum.

Sane in tex. 9. & 10. oculus dicebatur esse spiritus materia, sicut corpus est materia animæ: & vt corpus & anima sit vnum animal, sic ex oculo vt aspicendi facultate vnum quidpiam perfectum ad operandum efficitur. Nunc autem natura & creatura differre, hoc argumento ostendit; quod organum corpus quoddam est & magnitudo, facultas autem item, sed actus & forma corporis ac magnitudinis. Neque sentiens dicitur, quatenus magnitudinem habet; quoniam vbi à corpore recessit anima, nihil adhuc corpus & magnitudo, nec tamen sentit: sed quatenus facultate quadā velut magnitudinis actus & forma præditum est. Itaque subiecto idem sunt, sicut quælibet forma & actus eum sua materia & subiecto; ratione autem diuersa, vt omnis forma & actus ab eo, quod formam & actum habet.

Non est tamen hic locus ita intelligendus, vt facultas & organum sint idem re, sola que moueantur definitione, & (vt in scholis loquimur) formaliter distinguuntur. Quoniam cum facultas sit in anima, quemadmodum anima & corpus re ipsa distinguuntur, ita facultatem quoque & organum distinguere necesse est. Sed solum esse idem numero & subiecto voluit. Vt sicut ex anima & corpore, est re distinctis, sit vnum animal; sic ex facultate & organo sit vnum operans. Distinguitur autem ratione, hoc est natura; aliamque facultatis, aliam organi substantiam esse; vnam velut formalem, alteram velut materiam: atque ex vtraque constare oportere id, quod sentiens nominatur.

TEXTVS.

Ἐπιπέδον δὲ τὸ πύκτον ἔστι τὸ πᾶν τῷ ἀσθητικῷ αἵματι αὐτοῦ φησὶται τὸ ἀσθητικὸν αἵματι αὐτοῦ ὡς καὶ τὸ γὰρ ἀσθητικὸν ἔστι, οὐδὲ τὸ ἀσθητικὸν μέγας ὅτι διὰ τὸν αἵματι καὶ διὰ τὴν οὐρανὸν.

Manifestam autem ex his, & propter quid sentiens redundancia corrumpunt sensoria. Si namque foris sit sensorij motus, soluitur ratio. Hoc autem erat sensus, dicitur & consonantia, & tonus, vehementius per se ipsa dicitur.

COMMENTARIVS CLXXII.

Ex eo, quod sensum dixit esse rationem quandam in corpore, hoc est proportionem & commensurationem organi, quatenus certam quandam in eo temperationem ac dispositionem postulat, vt operari possit; Duo planè deducit. Alterum est, quod obiecta sensilia nimis vehementia modulatur, que excedentia corrumpunt sensuum organa, neque omnino sentiri queant. Causa est, quoniam

niam obiecta illa vehementius agunt, quam par sit, motuque immoderato proportionem eam & temperationem organi, in qua sensus versabatur, dissolunt.

Certe hinc statim quibus intelligat, non obiectorum species intentionales, sed reales qualitates ad sensuum organa peruenire. Siquidem species illae agendi aut corrumpendi nullam vim habent: sed tota haec realium qualitatum propria virtus est & efficacia: neque in ceteris modo sensibus, sed & aspectu.

Sensus porro proportio & commensuratio esse materialiter dicitur, quoniam ut operetur, certam in organo proportionem & commensurationem postulat: non formaliter, quia in primo libro a text. 54. ad 62. ostensum est, animam non esse harmoniam & temperationem qualitatuum. Verum in anima corpus temperatum & proportionem quadam constans requirit, ut in eo sit, quae si dissoluatur, in eo esse non potest: ita multo minus operari in illo poterit, si oportuna temperatione caruerit. Omnis quippe forma maiorem materiam apparatus desiderat, ut operetur, quam ut in ea absolute consistat. Propterea sensus, qui animae facultas est, quamuis dissoluta organi temperatione non statim deserat corpus & pereat, nequit tamen operari, aut certe vix & imperfectissime operatur.

Ceterum alio modo hunc locum interpretatum fuisse Theophrastum, neque in mutua illorum habitudine sed in proportione sensualem instrumentorum ad sentiendam obiecta rationem eam exposuisse, apud Priscianum legimus in libro de an. cap. 45. & vere etiam Simplicius quodam alio modo interpretatur sensum proportionem appellari. Quoniam, ut ex Themistio quoque & Philopono antea fuit adnotatum in Comment. tex. 118. in medio duarum contrarietatum tanquam iudex versatur: non quod ex illis compositus sit, sed quod circa utramque operetur. Et ideo simile quoque organum postulat, quod ab extremis illis contrarietatibus remotum sit; & aut omnino illis spoliatum aut certe tenuiter ac mediocriter imbutum. Aequum enim est, ut facultati utendi conueniens sit, ut per illud operari & de utroque extremo iudicare possit. Eandem Priscianus interpretationem fecisse videtur, cum in essentiali vita & iudice sensuum rationem collocauit; soluique rationem dixit, quatenus organum rationem suscepturum euadit ineptum. Quare hoc modo proportionem accipiendo prius natura sensus, quam organum, proportio est & mediocritas. Siquidem organum ideo tale efficitur, ut sensui famulari possit: alioque prorsus modo manifestum est sensum affirmari proportionem ac mediocritatem esse; quam in primo libro negatum fuerit.

Sed cum ab immoderato quouis obiecto mediocritas organi & proportio dissoluatur, organo corrupto sensus operatio impeditur. Corrupti vero organum, inquit Philoponus, aut quatenus corpus quoddam est, aut quatenus organum sensus. Quatenus corpus, dissoluitur organum a vehementi luce, nimisque splendore, aut ignis calore humorem oculi de pascente, illiusque tunicas nimium siccate: & auris membrana ab immoderato aeris impulsu: & omnino reliqua a nimium calefaciente aut refrigerante, humedante, siccanteque qualitate. Quatenus autem sensorium, patitur & dissoluitur a propria sensuum operatione, ut sensilia sunt: quemadmodum

adum oculus a colore congregatus aut disgregatus, & auris a sono. Cuius sententiae posterior pars potest esse suspecta. Tum quia ut sensus est perficiens passio, non corrumpens, ut in tex. 57. dictum est: Ita sensibile obiectum, ut sensibile est perficiendi duntaxat vim habet, non perdendi & corrumpendi. Tum etiam quia omnis corruptio per realem actionem contrariaeque formae productionem fit. Sensibile autem, ut sensibile, realem actionem nullam habet, sed intentionalem & impropriam, quatenus sensum ad operandum mouet. Tantumque abest, ut contrariam producat, ut nullam potius producat: sed solum idem, circa quod sensus ex seipso sensationis actionem promat: Ab eoque improprie & intentionaliter secundum actum cognitionis circa illud a sensu productum patitur.

Sola igitur superest prior corruptio organi, quatenus corpus naturale est, a reali qualitate agente & noxia atque intemperata formam producente. Sane organum, etsi quatenus sensorium est, a nobis considerari queat: hoc tamen mentis cogitatio est, re ipsa vero corpus quoddam exiit. Neque corrumpitur, nisi vera & corporea actione; non intentionali, impropria, & metaphorica. Propterea igitur destruitur organum sensus, quod nimis vehemens obiectum sit, ut nimia solis lux, nimisque attenda ferrid candentis inspectio, ingens strepitus, & similia. Dissoluitur enim organi temperatura, nec tam vehementem potest sustinere actionem. Hanc causam exponit Philosophus; atque ut ostendat, quemadmodum a vehementi obiecto sensorij proportio ac temperatio dissoluatur; exemplo vitru harmoniae & concentus musici, qui certa vocum proportionem sonorumque intentione ac temperatione constat. Quippe in cithara aut lyra fidium quaeplati vehementius pulsatur, aut in musica vocum aliqua plus aequo attollatur concentus dissoluitur. Et omnino quaecumque in mediocritate aliqua & commensuratione consistunt, corrumpuntur omnia & pereunt, si cuiusvis partis redundancia & excessus accedat.

In fidium autem exemplo appositae notae Simplicius, earum concentum duobus modis turbari; aut fidibus incitis, aut vehementius pulsatis: priorique modo omnino tolli, posteriori turbati duntaxat & impediti. Hoc enim ad id explicandum pertinet, quod paulo ante dixi, aut organi temperiem ita interdum mutari, ut sensus omnis tollatur ac penitus aboleatur, aut ita, ut impediatur solum, ne bene ac prompte operetur.

Sed & alias ob causas debilitantur & pereunt organa sensuum. Primum, ob diurnam nimis & vehementem sensationem, qua consumatur is spiritus, qui humectare organum & recreare debebat. Multum enim sensus absorbit spiritum: ideo quiete opus est & somno, quo & sensus cesset & spiritus interim reficiatur. Deinde propter nimium quamcumque spiritus penuriam. Qua fit, ut fame laborantes non cernant. Cum enim organum est tantopere debilitatum, quia spiritu destitutum; si vehemens accedat sensibile, patitur plurimum. Tum vero propter nimiam actionis cessationem. Etenim exercitatio conseruat organum; vniq. sentiendi, sicut & ingenium, acuit & memoriam perficit. Atque intermissa sensatione desuescit spiritus venire ad organum; atque ad illud redit; & ex illius humectantis absentia siccatur organum. Ita fit, ut qui diu fuerunt in tenebris, vim lucis post nequeant sustinere.

*Two modis corrupti sensum posse.*

*2. 3. 4.*





suscipi. De tactu magis poterat dubitari; quod d & primus est & imperfectissimus & maximè materialis sensus; organòque vitur per totum corpus disperso; & illius obiectum in plantarum quoque corporibus suscipitur.

Non dixit autem absolute plantas à tactilibus pati; sed quidpiam pati. Quoniam à sensibili obiecto duobus modis patiuntur animalia, quæ sensum habent: tum corpore scilicet seu corporeo organo, quod obiectum suscipit: tum anima seu animæ facultate, quæ ab obiecto permota cognitionis actum velut obiecti formam promit & recipit. Plantæ priorem duntaxat, non posteriorem passionem habent. Patiuntur etiam non absolute eo modo, quo sentire dicebatur esse pati in tex. 57. hoc est cum perfectione eius, quod patitur: sed quodam alio modo, scilicet cum interita & corruptione; si quidem ea passiones corruptentes sunt. Denique non absolute, sed quidpiam pati dicuntur; quia non patiuntur ab omnibus qualitatibus tactilibus. Non inquam à graui & leui, à duro & molli, ab aspero & lenialisque similibus: sed ab illis solis quatuor primis, quæ alterandi vim habent; à calore & frigore, humore & siccitate.

Vbi verò ita de hoc dubitauit Philosophus, iisdem plantæ argumentis ostendit, nullum in plantis inesse sensum simulque duo priora diluit argumenta. Primum enim non sentiunt plantæ propter nimiam corporis interitum. Quippe non habent eam mediocritatem & qualitarum temperationem, quam tactus præsertim postulat. Non inquam illarum corpora vniuersa, neque vlla eorum pars. In animalibus illæ ipsæ partes, quæ ab hac mediocritate magis recedunt, omni priuantur sensu; vt ossa cartilagineæ, & etiam nerui, vt est in tex. 79. lib. 1. si solam iunatam sibi & propriam temperationem habeant. Sed caro, cutis, & neruus quoque à spiritu carnæque temperatus atque ad mediocritatem ductus, optimè sentiunt. Et omnino quæcumque animalia duriora ac terreo magis sunt corpore, minus sentiunt. At in vniuerso plantarum ac stirpium genere, tum corpora rota, tum partes singulæ à mediocritate nimium recedunt, terreaque plus æquo sunt.

Deinde quoniam etsi anima quapiam præditæ sint, principio tamen illo carent, quod vim habet sensibiles formas suscipiendi sine materia. Hoc est viuunt quidem, sed priuantur sensu, quem eiusmodi facultatem esse ac principium in animalibus non multò ante definitum est. Sed si calefiunt & refrigerantur, si humectantur & siccantur; suscipiunt prorsus formas cum materia. Quæ verba, vt ex sus-

Perit dictis cognoscitur, non ita intelligenda sunt, vt exposuit Philoponus; eas cum materia pati, quoniam illarum corpora sunt materia qualitarum tactilium, quas suscipiunt. Hoc enim non minus conuenit animalium corporibus, dum iisdem qualitatibus afficiuntur. Neque etiam vt Themistius; quod materia simul cum qualitate subit illarum corpora, dum nutriuntur. Etenim non hoc agit Philosophus. Neque dum calefiunt aut refrigerantur, alio modo alterantur, quàm cætera, vel etiam animalium corpora: alterante scilicet qualitate aliam sibi similem in obiectum corpus producente, soliusque qualitatibus susceptione. Sed intelligendum est, propterea plantas dici pati seu suscipere formas cum materia quod qualitates quidem illas materiales in sua corpora admittant, sed cum omni sensu priuentur, nequeant illas cognoscendo à materia eleuare, purasque

& synceras illarum naturas sine materia suscipere in anima, quemadmodum animalia suscipiunt, quæ sensum & cognitionem habent. Verum hæc duo, organum & facultas, necessàrio coniuncta sunt, seseque vicissim consequuntur. Nam si organum aptè temperatum non habent, neque sentificent facultatem habere possunt: & contra si facultate carent, nec habebunt organum. Quoniam alterum sine altero esse non potest, & alterum sine altero esset frustra, cum operari nequeat.

Tertiam causam, cur planta non sentiant, addit Themistius à fine ductam. Si enim ex sensum haberent, frustra nimirum haberent. Quia eum infixe sint radicibus terræ, nec moueantur loco, neque salutaria persequi, neque à noxijs fugere possunt, quemadmodum animalia. Nihil autem frustra facit natura.

Tam si tactum non habent, neque habebunt gustatum, vt quidam voluerunt: neque sensum suauis & tristis, vt in Timæo dixit Plato: neque omnino vllum aliorum sensuum. Tum quia tactus est omnium primus, sine quo nullus aliorum esse potest: minime verò gustatus, qui tactus quidam est. Tum quia reliqui omnes sensus perfectius minusque materiale, minus crassum & terreum organum postulant. Quare si ad tangendum inepta sunt plantarum corpora, ad cæteros sensus fuerint ineptiora.

TEXTVS.

Αποφασίς ἐστὶν ὅτι, εἰ πάλαι ἀπὸ τῆς οὐσίας, τὸ ἀδύνατον ὁσπερ ἐστὶν αἱ τὰς χεῖρας τὸ μὴ δυνάσασθαι ἰδεῖν, ὁμοίως δὲ ἐστὶν αἱ τὰς ὀφθαλμοῦ, εἰ δὲ τὸ ὁσπερ ἐστὶν ὁ σπινθηρ, εἰ τὸ πῦρ τὸ ὁσπερ ἐστὶν ἡ οὐρανὸς, ὅτι ἐστὶν ἀδύνατον ὁσπερ ἐστὶν αἱ οὐρανοὶ, οὐδὲν δὲ τὸ πῦρ ὅτι ὁ σπινθηρ, ὁ δὲ αὐτὸς ἰσχυρὸς ἐστὶν αἱ ἀστέρες, ὅτι ἐστὶν ἀδύνατον ὁσπερ ἐστὶν ἡ οὐρανὸς, ἀλλ' ἢ ἐξ ἑαυτῶν ἔκαστος.

Dubita uerit autem quispian, an patiatur aliquid ab odore id, quod odorari non possit, aut à colore id, quod non possit uidere. Similiter autem et in alijs. Si autem odorabile, odor, si quid facit odoratum, quatenus odor facit. Quare nullum eorum, quæ odorari nequeunt, patitur ab odore potest. Eadem autem ratio et in alijs. Neque eorum, quæ possunt, nisi quatenus sensuum unum quodque.

COMMENTARIVS CLXXXVI.

Cum plantas quoque, & ea, quæ sensum non habent, à tactilibus qualitatibus pati dixisset, etsi eas non sentiant: iure optimo de sensibus cæteris dubitationem proponit, an ab odore quoque colore, sono, & sapore, pati quidpiam possit, quod earum sensum non habeat. An verò hæc qualitates in illis suscipiantur solis, quæ eas suscipiendo persentiunt. Quam ob causam verè quidem fortasse Auerroës credit, nil aliud hoc loco fuisse Aristoteli propositum, quàm exponere differentiam inter qualitates tactiles cæterorumque sensum obiecta. Quod hæc non afficiant nisi id, quod sensu præditum est, illa ea quoque quæ omni sensu carent. Sed minime veram illius differentie rationem subiunxit, quod sensilia reliqua sint de genere relationis, tactiles autem qualitates de genere actionis & passionis per se, ex accidenti verò relationis. Etenim neque relatio, neque actio & passio, per se sensibiles sunt, sed



omnia sensilia obiecta tertij generis qualitates & absoluta entia sunt quibus relatio accidit, quatenus sensiles sunt; aut actio, quatenus agendi principia esse possunt. At nec tactiles omnes qualitates agendi vim habent: vt graue & leue, rarum, & densum, asperum & lene, durum & molle: sed quatuor ille duntaxat omnium principes. Et in aspectabiliu quoque genere lux agit plurimum.

Verum arbitror quoque ego non solum voluisse Philosophum tactiles qualitates a sensilibus ceteris separare. Sed illius potius occasione, quod de tactilibus & plantis dixerat, generalem magis & vniuersam questionem tractasse, num a sensilibus pati quidpiam contingat, quod sensu profus careat. Hoc enim ad generalem sensuum tractationem hoc loco susceptam magis pertinebat. Quare Simplicius proprium sensus patiendi modum ex his doceri autumat. Nam cum triplex in sensilibus qualitibus actio & passio esse queat. Vna per alterationem & suscipientis mutationem; vt cum calefit quidpiam, aut refrigeratur, aut colore & odore aliate reali qualitate imbuitur. Altera per solam formalem actus communicationem, absque alteratione, vt cum cera per solam impressionis actionem figuram anuli suscipit, & sensillum qualitatum intentio per medium traicitur ad sensum. Tertia per exterioris quidem forme susceptionem, sed determinatam & perfectam propria quadam cognitionis & iudicij actione illius, quod eam suscipit. Hæc nimirum sola est passio sensus propria, & ab obiecto sensili, quatenus sensile est, profecta. Et quamuis duæ priores in ijs quoque esse possint, quæ sensum nullum nec vitam habent: hæc tamen postrema in solo sentiente, quatenus sentiens est, suscipitur; actioque illi respondens solius sensus propria existimatur. Atque hoc modo sensile & sensus rationem vicissim habent, aguntque & patiuntur. Neque sensio quamlibet passionem significat; nec passionem solam, sed passionem eiusmodi, cui sensus iudicantis actio adiuncta sit. In qua Simplicij commentatione secundum passionis genus non intentionalium specierum susceptione, sed sensilis actus traiectione constat. Et trimembris partitio ad bimbrem diuisionem contrahi potest. Vt quædam sit mera passio & qualitatis seu actus susceptio aut traiectio, qualis tum in medio, tum in alio quouis corpore cernitur: alia cum actione & iudicio sensus coniuncta, quæ in solis animalibus inest. Illa inanima est, minimèque vitalis; hæc animata, vitalisque prorsus, sentiens, & iudicatoria. Illa formam cum materia, hoc est materialem penitus qualitatem, suscipit; hæc aut solam formam sine materia, vt in colorum visione; aut in organo formam cum materia, & in sensu formam sine materia. Et ideo illa existit in corpore, hæc in anima, partèque illius sentiente. Ac demum illa materialis obiecti duntaxat susceptio est; hæc obiecti quoque formalis sensilis inquam, quatenus sensile est.

*Triplex in sensilibus actio & passio.*

*triplex passio.*

**A** in his potest vtrumque passionis genus reperiri, & in quibusdam qualitates sine cognitione & iudicio suscipi. At in illis non item: sed nihil vique esse suscipere aut ab illis pati, quod eas item sentire & cognoscere nequeat. Neq. in his ipsi eas suscipere ab illis pati, nisi quatenus sentiendi & cognoscendi tanquam principio vtitur ea relatione, quæ inter sensum & sensile reperitur. Sensus enim ad sensile dicitur, & sensile quoque ad sensum: & vt sensile sensili sensus est, ita & sensile sensu sensile.

Propterea propositio illa (odorabile est odoratum) est accipienda, vt non hæc, sed eius conuertentem intelligatur (odor est odorabile). Non enim odorabile, sed odorem propositum illi est demonstratum esse sola mouere & afficere, quæ odorandi sensu præta sunt. Accipiturque tanquam medium argumentationis terminum relationem eam, quæ est inter sensile & sensum. Quam relationem manifestum omnino significat odorabile, quàm odor. Nam et odor quoque significare videtur, id tamen propterea est, quia est vox a sensu deslexa, non quæ absolutam naturam proponat, vt ante a dictum est cum de odoratu ageretur. Neque in ceteris sensibus obiecta materialia, sed formalia relationem significant: Non in quâ color, sonus, aut sapor, sed aspectabile, gustabile, neque ipsemet odor eam significat, nisi quatenus odorabile est. Odor igitur est minor extremitas, mouere & afficere odoratum, extremitas maior, odorabile, medius terminus. Et quæ adhuc modum ratiocinationis. Odor est odorabile, sed odorabile vt odorabile ad odoratum dicitur, & odorabile omne odoratum odorabile est, igitur odor vt odor, id est vt odorabile est, ad odoratum solum refertur, cumque solum mouet & afficit: nec aliud quidquam ab eo moueri potest & pati, quod odorandi sensum non habeat. Eadem est ceterorum sensuum ratio. Nihil enim a coloribus, sonis, saporibus, patitur, nisi aspectu, auditu, & gustatu percipitur sit.

**C** Quod autem contra hæc obijci possit, medium ab huiusmodi qualitibus affici, dum soni, odores, & lux per aërem & aquam sparguntur, quæ corpora non solum sensu, sed omni anima carent, in primo commentario explicabitur. Sic enim subornat Philosophus.

TEXTVS.

*Κμα δὲ δὴλον ὅτι οὐτως. οὐτὸν τὸν φῶς & οὐδὲν, οὐτὸν οὐδὲν οὐδὲν τῶν οὐρανῶν. ἀλλ' οὐδὲν τῶν ἀστέρων, οὐδὲν τῶν πλανητῶν, οὐδὲν τῶν ἀστέρων, οὐδὲν τῶν πλανητῶν, οὐδὲν τῶν ἀστέρων, οὐδὲν τῶν πλανητῶν.*

**E** Simul autem manifestum est. Neque enim luceat & tenebra, neque sonus, neque odor, qui spiritum agunt corporas, sed ea, in quibus sunt, vt aer, qui in tenui sordid lignum. Sed tactibus & saporibus agunt. Si enim non, a quoniam paterentur inanimata & alterarentur.

COMMENTARIVS CLXXV.

**Q** Vibis verbis id ipsum quod ratione preceuerat, experientia & effectu confirmat. A sensilibus in quâ obiectis nihil pati, nisi quod sensu habet. Quippe cuius manifestum est, neq. lumens & tenebras, hoc est aspectabile, id afficere: quod aspectu careat neq. sonum aut odorem agere in quidquam, quod auditu aut odoratum non habeat. In eo enim quod

quod aspectu, auditu, & odoratu præditum non sit, nullus effectus à qualitatibus hisce producitur. Quod si produci videtur interdum, id ex accidenti profus efficitur, non à sensili qualitate, sed aut ab eo, in quo qualitas inest, aut ab aliquo alio, quod cum ea coniunctum sit. Nam si tonitru quis dicat profcindi ligna, aut eiusmodi alia inanima corpora deici id nequaquam fit ab illo vehementi sono, & fragore, qui est in tonitru, sed à fulmine cum tonitru coniuncto, aut ab aere in tonitru vehementer impulsio, qui aer somi subiectum est: neque à sono, sed à subiecto aere patiuntur hæc corpora. Et rursum ab odoribus patiuntur quidem, & aer, & alia corpora, dum bene male olentia sunt: sed non ab odore vt odor est, verum à vaporoso halitu odor em defere, qui cum illis permiscetur. Dum autem in illuminato aere inanima quoque corpora calefiunt, respondet Philoponus, ea non à lumine calefieri, sed ab aere, non quatenus illuminatus est, sed quatenus calidus. Quæ sententia non omni ex parte videtur esse vera. Quoniam aërem ipsum à lumine calefieri cerum est. Si quidem hanc ob causam calidior interdum est, quam noctu, & aestate, quam hyeme: & omnino illuminata loca calidiora sunt ijs, quæ tenebrosa existunt & opaca. Calefiunt igitur, siue ab aere calefacto à lumine, quatenus calidus est, non quatenus illuminatus: siue ab ipsomet lumine, at non quatenus lumen est & aspectabile, sed quatenus calefaciendi vim habet, estque potestate ac virtute calidum.

Qua in re non parum cum tactilibus qualitatibus convenit. Quia enim vt hæc sunt inferioris naturæ instrumenta, sic lumen supremi & primi corporis celestis virtus est, qua inferiora hæc omnia regit & fouet, vtrumque qualitatis genus vim habet agendi in omnia corpora, tum animata, tum inanima. Sed hoc conuenit illis, quatenus sunt qualitates actiue & alterantes, non quatenus sensiles sunt. Etenim sensilibus cæteris qualitatibus, coloribus, sonis, odoribus, saporibus, vt non sunt primæ, sed secundæ: non alterationis principia, sed effectus, qui ex primarum illarum actione oriuntur: sic nulla inest in aliud actio, quatenus qualitates eiusmodi sunt, sed solum quatenus sensiles sunt. Quod cum ad sensum dicatur, agere in ea sola possunt, quæ sensum habent, eaque sola ratione, qua sensu prædita sunt. Primis autem ijs, quæ sensiles sunt, vimq. agendi & alterandi habent, duplex planè conuenit actio. Vna, quatenus sensiles sunt. Altera, secundum propriam ipsarum naturam, qua primæ & alteratrices existunt. Prior eiusdem rationis est cum cæterarum sensilium qualitatū actione, hoc est in ea sola, quæ sensu prædita sunt quatenus sensu valent. Posterior ipsarū propria generalior est in omnia corpora, vel etiã sensus & vitæ expertia. Dumq. ita in ea agunt, quæ sensum habent, hæc non patiuntur ab illis, quatenus sensum habent, sed quatenus corpora quæpiã sunt, eodemq. profus afficiuntur modo, quo inanima cætera. Quare si mediū, aer & aqua, à lumine, calore, sono, odore, patitur, dum hæc qualitates per mediū sparguntur, non patitur ab illis, quatenus sensiles sunt, sed alia quapiam ratione. A lumine & calore, quatenus agendi & alterandi obtia queis sibi corpora virtute valent. A sono, quatenus mouetur & alliditur aer, in quo est sonus. Ab odore, quatenus vaporosus dispertitur & in medio suscipitur halitus, in quo est odor.

Itaque ad questionem propositam, num à sensili-

bus pati quidpiam contingat, quod sensu præditum non sit; adhibita distinctione responderet. Etenim ab illis, quatenus sensilia sunt, nihil, nisi sentiens, pati affirmat: at alio quodam modo pati quidvis posse. Est autè duplex modus. Aut quia patitur ab eo, in quo sensilis qualitas est, vt cum à sono aut odore patitur. Aut quia ipsamet qualitates non solum sensiles sunt, sed alteratrices quoque; vt lumen & ær, quæ tactiles sunt, calor, frigus, humor, siccitas.

Sapores Philosophus addidit: & ideo dubitauit Auerroës, an ij agant in corpora gustatu priuata. Sed omnino negandum est, dum quatenus sapores sunt considerantur. Sunt enim qualitates secundæ, quæ quatenus eiusmodi sunt, nullam agendi vim habent. Quatenus autem sensiles sunt, solum sensum afficere ac mouere possunt. Sapores igitur hoc loco nominauit Philosophus & cum tactilibus qualitatibus cõiunxit, non quatenus sapores sunt & gustabiles, sed quatenus gustatus, vt antea docuerat, est quidam tactus, & gustabile quodpiam tactile. Habet enim socias qualitates tactiles, quæ agendi vim habet: & ideo à saporibus quoque humectantur, siccantur, calefiunt, & refrigerantur corpora. Hoc ita esse, neque nominatõs fuisse sapores, vt sapores sunt, sed vt tactiles habent qualitates; ex ea ratione intelligitur, qua & qualitates tactiles & sapores probat in corpora quoque inanimata agere. Si enim inquit inanimata corpora ab his non patiuntur & alterantur, à quoniam paterentur? Ellent nimirum impatibilia & immutabilia. Quæ ratio de solis tactilibus valida est, quæ & omnium primæ sunt, & ad agendum maxime efficaces: & nisi ab illis patiuntur & alterentur corpora, à nullis alijs pati aut alterari possunt. Nec sine causa satis illi non fuit nominare passionē, sed alterationem adiunxit. Primum, vt exponeret, quatenus sapores nominasset: nimirum non vt sapores sunt, sed vt alteratrices qualitates habent adiunctas. Ipsi enim per se considerati vim alterandi non habent, sed ex alteratione nascuntur. Deinde, vt explicaret, quatenus tactiles ipse qualitates in corpora inanimata agant: nimirum non vt sensiles sunt, sed vt alteratrices. Atque cum paulo ante vnum modū posuisset, quo à sensilibus patiuntur inanima; quatenus ab eo patiuntur, in quo ea sunt: alterum nunc subiunxit, quatenus ex his quæpiam alterandi & agendi in aliud vim habent.

vt à sensibus non sentiens patiatur.

TEXTVS.

Αἰσθητικὰ κίνησις τῶν σῶμα κατὰ τὴν αἰσθητικὴν δύναμιν ἢ ἀπὸ τοῦ αἵματος ἢ ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἢ ἀπὸ τοῦ φωτός ἢ ἀπὸ τοῦ ἡχοῦ ἢ ἀπὸ τοῦ ὁσμῆς ἢ ἀπὸ τοῦ ἄλλου.

Ergo ne ex illa agendi? An non omne corpus passiuum ab ore & sono & quæ patiuntur inde terminata & non manent, vt aer? Olet enim tanquam passus aliquis.

COMMENTARIVS CLXXXVI.

Quod de tactilibus primis qualitatibus tradidit, eas in corpora quoque sensus omnis expertia agere; de cæteris item sensilibus explicare pergit. Propterea querit, num & illa, quæ antea nominauerat, lumen, sonus, odor, agant in eiusmodi corpora; sicut agunt calor, frigus, humor, siccitas. Cur autem hoc querat, causa est; quia si tactiles qua-



affirmasset Philosophus, non ea modo, qua sensu praedita sunt, sed ea quoque, qua prorsus inanima, a sensibus eodem modo pati, si non quatenus sensilia sunt, certe quatenus absoluta quapiam qualitates existunt, eas scilicet suscipiendo: iure optimo quaerit, quoniam modo sententia & animata a non sentientibus & inanimis differant. Hoc enim est, quod ait, Quid igitur est odorari, nisi quidpiam pati. Odorati nominat, quoniam de eo potissimum verbis proximis loquutus fuerat. Sed sensum omnem intelligi vult. Quoniam ut in ijs, qua vitam & sensum non habent, nulla est actio circa sensilia, sed mera passio formarumque a sensibus susceptio: Sic & in sentientibus videtur esse, eodemque modo ab illisambo pati iudicantur. Quam dabitacionem statim exponens respondet, in eo diversitatem esse, quod odorari est sentire, aer autem passus cito sensilis fit. Sentire inquam non solum est pati & suscipere in organo sensillum, luminis, soni, odoris, saporis, caloris formas: sed etiam est agere sentienteque facultate eas cognoscere ac de illis iudicare. Corporis enim passio adest loca sentientis anima actio. Fitque non raro, ut quamvis in organo sensilis qualitas suscipiatur, nihil tamen sentiamus, propterea quod non attendat anima, neque circa susceptam qualitatem agat. At in aere sensuque carentibus corporibus sola est passio & susceptio, qua ipsa sunt sensilia dum sensili qualitate afficiuntur. Et aere, odore aut sono repletus, & qua aliudue corpus calefactu, sentiri a nobis queunt, sed minime ipsa sentiunt, quod facultatem non habeant, qua de suscepta qualitate iudicent.

Itaque hoc differt sentiens, a non sentiente, quod illud patiens sentit, hoc vero patiens sensibile fit. Et hoc quidem, inquit Simplicius, externa duntaxat actione constant illud autem etiam propria. Verum hoc quoque observandum est: Ut corpus inanimu sensilis formae susceptio sensibile nominatur, sic & inanimatum organum nominari. Si quidem eadem est utriusque conditio, neque sentiendi & iudicandi actio est organoru propria, sed facultatis. At quemadmodum haec sensilia dicuntur, quod d sensilem suscipiunt formam; sic anima & facultas a cognitionis actu sentiens appellatur: non solum externa appellatione, quod sit sentiendi principiu; sicut quod libet, quod in externam materiam agit, agens nominatur: sed interna prorsus a forma, hoc est a sensionis actu tanquam obiecti sensilis forma sibi inherente. Est enim actio non in externam rem transiens, sed in eo ipso, quod agit, remanens. Idcirco in corporibus ceteris unica est passio, in sentientibus omnino duplex. Illa patiuntur solum, dum sensilem qualitatem suscipiunt: Haec & dum qualitatem in organo, & dum cognitionis actum in facultate admittunt. Quamquam priorem ego passionem organi non semper necessariam esse dixerim, nisi in tactu & gustatu, qui materiales maxime sunt: in ceteris autem posse nonnunquam sonos & odores, vel etiam lumen a facultate

comprehendi, etsi organum non plus fuerint: modo sunt non magis distita, qua facultatis virtus operandi patitur. A coloribus autem oculum pati nunquam & affici, nisi quando ipsimet oculo obliniuntur: ut in icterico. Alioqui nec illi re ipsa multiplicentur, nec intentionalem specierum multiplicationem libet admittere.

Quod ex hoc ipso loco intelliges: non solum inquam in coloribus, in quibus a plerisque ponuntur, sed multo magis in sensibus ceteris nullas esse eiusmodi species. Quippe non aliud voluit Philosophus inter esse discrimen inter inanimatorum & sentientium corporum passionem, quam quod illa patiuntur, non agunt, haec & patiuntur, & agunt: patendi autem eundem utrobique modum esse. Eadem igitur forma, qua in corpore inanimato suscipitur, suscipitur quoque in organo. At in inanimato suscipitur realis sonus, odor, lumen, & calor, in aere aut aqua: & qualitates tactiles, que in duritatem corporibus per actionem & alterationem realem suscipiuntur, reales nimirum sunt: & hoc loco confirmat idem Philosophus, qui ab omnibus huiusmodi qualitatibus aërem & inanimata corpora dixit sensilia fieri. Non enim intentionalis species sensilis est; neque sensibile facit illud corpus in quo suscipitur. Igitur sensillum quoque organum reales qualitates adveniunt. Alioqui facile fuisset Aristoteli, & vero etiam debuisset, eam inter horum corporum passionem differentiam facere, quod inanimata qualitates reales, sententia intentionales suscipiant. In facultate vero non species, sed cognitionis & iudicii susceptionem posuit. Vbi igitur intentionales istae species: quare illarum necessitas; si realis qualitatis in organo susceptione facultatisque cognitione ac iudicio sensio tota absoluitur.

Denique ex hoc ipso loco licet rursus intelligere, quare verè a me fuerit antea exposita propositio illa text. 121. sensus est facultas formarum sensilium susceptrix sine materia. Quoniam nunc dum sententia hoc solum nomine a non sentientibus distinguuntur, quod non solo patiuntur corpore sensillum obiectorum formas suscipiendo; sed item sensu illas cognoscant, & iudicent: declaratur plane, priorem susceptionem cum inanimis corporibus communem, susceptionem esse formae cum materia; hoc est formae secundum suum esse & conditionem materialem: sensus autem proprium esse suscipere sine materia, quatenus eas cognoscit & cognoscendo a materia elouat, modoque quodam immateriali in se ipsum transfert. Atque in hoc tandem sensus naturam consistit: quare cum agens sit, & patiens quatenus actionem suam suscipit, utrumque Philosophus optime explicavit. Patendi quidem vim, dum antea sensum dixit susceptivum esse formarum sine materia: agendi autem nunc postremo addens, eum non sola organi passione consistere, sed actione quoque formaeque ab obiecto susceptae cognitione.

Contra species intentionales.

Ve desens suscipio formas sine materia.

SECUNDI LIBRI FINIS.